



ecclesiarum aduocatum et patronum agere potuerit, his in otis, immo et in ipso pago *Orla* 53) consecutis sit: nam *Adelheidis* fuit coheres *Ulrici II.* Orlamundanor. seu potius Vinariensium Comitum vltimi, anno 1112. defuncti. Haec est coniectura nostra de *Wichmanni* acquisitione terrarum hac in regione et in pago *Orla*, quam tamen nemini obtrudimus, sed peritioribus examinandam commendamus.

#### OBSERVATIO IV.

De Monasterio in Eydersburg s. Ettersburgensi.

**D**iplomata nostra, secundum et tertium, Monasterii Ettersburgensis faciunt mentionem, cuius quia hominum memoria fere prorsus excidit, ex iis, quae de eo in Archivo Ducali reperire potui, historiolam iisdem diplomatibus subnectere eaque illud ab obliuione vindicare non incongruum fore duxi.

Situm illud fuit in hodierno vico *Ettersburg*, qui paret Praefecturae Vinariensi haeretque in orientali latere montis non incelebris *Ettersberg* dicti. Supersunt ibi adhuc aliqua Monasterii aedificia, veluti ecclesia, quae quondam fuit monachorum capella, et turris, reliquis post abolitionem naeuorum, quibus res sacra in eunte seculo XVI. scatebat, destructis et in usus meliores consumtis. Est inibi quoque arx Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis venatoria, quae vero superiori demum seculo fuit exstructa tandemque ante quinquaginta et quod excurrit annos a Duce *Ernesto Augusto* in formam hodiernam redacta.

Quem

53) vid. diplom. ap. Schoettg. et Kreyfig in Diplomatar. T. I. p. 690.  
692. 695.